



Svmma Juris Canonici

Comprehensa Tribus Partibus In Qva Distincte Et Svccincte Explicantur,
quæ ad personas, negotia, & iudicia Ecclesiastica ex Canonum præscripto,
pertinent

Sive Antinomia Ivris Pontificii Et Cæsarei - per CCL. Differentias plurium
Doctorum auctoritate probatas, singulari studio in certas classes reducta,
discussa, & explicata

Strein, Johann

Coloniæ Agrippinæ, 1658

XXXIX. Differentia 12. Ilure civili permittitur transsigere de criminalibus
inferentibus pœnam sanguinus excepto adulterio: de aliis non licet
transigere excepto crimine falsi:

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61864](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61864)

DIFFERENTIA 12.

Iure civili permittitur transigere de criminibus inferentibus poenam sanguinis, excepto adulterio: de aliis non licet transigere excepto crimine falsi: 1. Transigere, C. de transact. Sed iure Canonico videtur aliud dicendum, videlicet nullum crimen inferre poenam sanguinis: item in causa spirituali nullo modo licere accepta pecunia desistere, c. fin. de resec. & c. fin. 2.

q. 3. §. In omnibus. Bartol. 54.

I. **V**trumque convenit i. de quacunque re dubia, & litigiosa transigi posse. l. 1. ff. de transact. & l. 2. C. eod. etiam facta causae conclusionem. Nam tunc quoque litis eventus dubius est, non tamen post rem iudicatam, vel iuramento decisam, l. 7. ff. eod. 2. tam auctori quam reo de crimine capitali transigere licet, l. Transigere 18. C. eod. Nec pro confesso habendus est, qui transigit. Magis enim periculi declinandi causa, quam conscientiam criminis censetur transigere, l. fin. ff. de pravaricat. Bronchorst Centur. 1. ass. 43. Excipitur tamen adulterii crimen, ne lenocinii detur occasio, l. Transigere quamvis C. de adulter. 3 non licet transigere de alimentis futuris ut imā voluntate relictis absque causae cognitione, & praetoris auctoritate, l. Cum hi 8 ff. eod. Nec de eo, quod in testamento relictum est, non inspectis testamenti verbis, quia talis transactio captiosa videtur, adeoque improba, l. 5. eod.

II. Iuris Canonici haec propria sunt: i. in causa matrimonii dubii nulla transactio, aut amicabile compositio admittitur, c. fin. de transact. 2. de subiectione spirituali debita v. gr. Ecclesiae matri,

Antinomia.

non valet transactio, c. Praeterea, hoc tit. 3. nec de ulla re spirituali, vel annexis illi interveniente aliquo temporali, c. Constitutus, c. Super eo. 4. si nihil temporale promittatur, de beneficiis ecclesiasticis iustam fore transactionem probabile est. Barbof. in c. Constitutus, hoc tit. Vallens. l. 1. tit. 36. §. 3. Fachin. l. 1. de contrav. iur. c. 8. & sequ.

III. Quod Bartol. addit, poenam sanguinis ab Ecclesia non agnosci, ita accipiendum est, ut ipsa per se poenis ecclesiasticis utatur, c. Per venerabilem. Qui fil. sint legit. principes vero saeculares gladium, quem portant, in vindictam malorum contra improbos stringant, c. Circumcolliones, c. Sunt quaedam 25. q. 5. Nilominus ecclesiastico magistratui legem condere licet de mortis supplicio certis reis infligendo, & capitalis poenae potestatem laicis committere, quem adm. infra Diff. CXLVIII. demonstrabitur. Covar. l. 2. Variar. c. 20. §. tertio, ead. ratione summo Pontifici praesertim, cujus in manu uterque gladius, spiritualis, & temporalis. Extrav. Vnam, c. 1. de maior. & obed. Moscon. de maiest. Eccl. par. 1. c. 4. Franc. Leo in thes. fori eccl. par. 1. c. 15. n. 32.

G

XL. DIF.